

rentia datum describere proponentibus illis, hī quidem ordinatum ut Apollonius in libro inclinationum, & in uniuersali tractatu. Notum sicut Diodorus, sic etenim rectas lineas, & angulos dari inquit, & quicquid, & si rationale minime fuerit, in cognitionem aliquam uenit. Nonnulli uero ipsum rationale esse dixerunt, quemadmodum uidetur Ptolemæus, data illa appellans, quorum mensura nota est ad certitudinem uel prope. In suppositione autem à proponente propositum, datum nonnulli esse contenderūt. Inquiunt autem, & alio modo in primis elementarijs datum, & datam rectam lineam, hoc est qualem quis diffiniat, detq; rectam lineam. Omnia uero huiusmodi perceptionem quandam significare uolunt, unde maxime illæ diffinitiones comprobantur, quæ à nobis assumptum manifeste ostendunt. In præsentia uero ipsius dati naturā non solum tenui, & uno aliquo assignantium, qualem uero diffinitionem efficientium, differentias exponemus id capitulatim cum horum modi bene enumerati sint. Alij namq; ordinatum & porimon datum esse diffiniunt. Alij uero ordinatū simul & notum. Nonnulli porro ordinatum simul & porimon. Hī siquidem omnes apprehensionem, siue perceptionem & inuentionem ipsius dati respicere uidentur, ac perinde prædicto modo diffinire. Ut autem eorum huiusmodi sententiam ostendamus, insuperq; ut ueram propositæ diffinitionis ex multis propositis cōprehendamus inquirendum prius est simplicis uniuscuiusq; & ei oppositum significatum, inordinati quidem dico, ignoti, & aperi, & irrationalis. Extenduntur siquidem hæc ad præsentaneam geometricam materiam, necnon & ad res naturales, ac ad alias mathematicas disciplinas. Describunt siquidem ordinatum, quod idem obseruat, per quod ordinari dicitur, aut per magnitudinem, uel speciem, siue aliud quidpiam huiusmodi. Vel aliter quod aliter fieri non comprehenditur, sed tantummodo in diffinito aliquo est loco, ut si dicatur, per bina signa existentia descripta recta linea ordinari dicitur, eo quia aliter & inordinate minime fit. Inordinatus est qui per bina angulus, multipliciter siquidem & inordinate describitur maioris, scilicet, & minoris circuli infinities descriptorum per bina signa. Rursus ordinatus est qui per tria signa angulus. Sunt autem & hæc ordinata, sicut super data recta linea triangulum æquilaterum constituere, sed ex utraque rectæ lineæ parte tantummodo, & præter coincidentiam. Et datam rectam lineam in datam rationem dispescere, tantummodo siquidem hoc fieret, in utraque bifaria sectione. Inordinata sunt quæ hīs contrario sese habent, sicut scalenum constituere, & rectam lineam infinities secare: adiacet autem diffinitioni id ex quo ordinatur, quādo quidem unum quid & idem existens quandoq; ordinatum, aliter autem inordinatum esse potest, sicut æquilaterum triangulum, siquidem æquilaterū est, ordinatur: magnitudne uero non omnino diffinitur. Notum autem est quod cognitum est, sicut nobis manifestum & perceptum, ignotum uero quod neuiquam notum, neque à nobis perceptum est, sicut quadrati longitudo nota esse dicitur, quæ percipitur quoniam sit stadiorum, & quod trianguli tres anguli binis sunt rectis æquales, & quod quæ ex binis nominibus irrationalis est, insuperq; & talia nota dicuntur, ut unam tantum esse ab exteriori dato signo curuam tangentem ad utraq; partes: si enim & alia fuerit, binæ rectæ lineæ areolam comprehendent, quod absurdum est. Ignota uero irrationalia non sunt, sed quæ non sunt nota, neq; à nobis percepta. Porimon autem est quod neq; efficere, neq; construere, hoc est in opinionem ducere non possumus, aliter uero rursus porimon diffiniunt, uel quod per demonstrationē exhibetur, uel quando quidpiam absq; demonstratione manifestum fuerit, sicut centro & interuallo circulum describere, & triangulum constituere non solum æquilaterum, sed & scalenum, & eam quæ ex binis nominibus inuenire, & rectas lineas rationales potentia tantum cōmensurabiles indagare, & alia quæ infinities fiunt porimata sunt, sicut per bina signa circulum describere. Aporon uero est quod porimo ipsi sese contrario habet, sicut circuli tetragonismus: nondum enim in uia est, & si illum exhiberi posse putent: at scire eum possumus, eius siquidem est disciplina, nōdum tamen percepta. In præsentia uero iam de eo quod in uia est ratio assignatur, quare & proprie porimon id appellant, quod nondum in disciplina uia est, quod autem perceptum exhiberi potest poriston proprie appellant. Aporon autem, ut dictum est, quod ipsi porimo contrariū est, hoc est cuius inquisitio dijudicata non est. Rationale est, de quo dicendū est, magnitudo, uel species, siue positio, sed diffinitio huiusmodi quidem cōmunior est, proprie uero & ex seipso rationale est, quod per aliquam dimensionem positione cognoscimus, aut palæsta siue cubito, aut digito.

Hīs sic